


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ISAGOGE
Ad
EPISTOLAM PAULI
Ad
HEBRÆOS

Autore

M. LAURENTIO EDINGERO

Hafniâ-Dano.

HAFNIÆ,

Literis HENRICI GÖDIANI, Reg. & Acad. Typogr. Anno M DC LXIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ILLUSTRIBUS ac GENEROSIS
DOMINIS,

DN. MAGNO FRISIO,

Toparchæ in Faurſchouff &c.
SACR. Reg. Majeſt. Daniæ & Norwegiæ
QVÆSTORI,
COLLEGII CAMERÆ ASSESSORI,
HELGELANDIÆ & THÖNSBERGENSIS
PRÆPOSITURÆ GUBERNATORI.

DN. ERICO KRAHGIO,

Toparchæ in Bramming.
Sacr. Reg. Maj. Daniæ & Norwegiæ
SECRETARIO SUMMO,
COLLEGII CANCELLARIÆ ASSESSORI,
LUNDENÆSII PRÆFECTO.
Dominis Mœcenatibus ac Patronis meis
plurimum obſervandis,
Salutaria, & ſerena omnia.

Illuſtres & Generoſi Domini,

QVi honeſtatem aliquo in pretio habent, eò cogitationes ſuas conferre ſolent, ut quorum benevolentiam perceperunt, iisdem gratitudinem ſuam declarent. Magna veſtra in me beneficia luculentum aliquod gratitudinis meæ monumentum pridem jure ſuo poſtularunt, verum cum ego tenuitatem meam

per-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

perpendens, id hactenus præſtare non potuerim, turpiſſimam ingrati animi notam incurrerem, ſi occaſione hac neglectâ, Vobis, aliquam referre gratiam ceſſarem. Vos vero, *Illuſtres & Generoſi Domini* Patroni & Evergetæ Optimi, Maximi, quâ par eſt obſervantiâ, animiq́; ſubmiſſione rogatos volo, ut munus hoc levidenſe benigno placidoq́; vultu aſpicere, nec tam ſui pretio, quam offerentis animo æſtimare, & me porrò favore veſtro proſequi non dedignemini. Deus ter Opt. Maxim. Vos quam diutiſſimè ſeculo reſervet, ac rebus humanis intèreſſe patiatur, quod mecum ſcio, omnes boni patriæq́; amantes ſerio exoptant. Valete, clienti veſtro favete. Hafniæ. Prid. Cal. Novemb. anni à Nativitate Servatoris θεανθρώπȣ cIↄ Iↄc LXIII.

Illuſtr. Generoſit. Veſtr.

Obſervantiſſimus cliens
Laurentius Edingerus
Hafniâ Danus.

EPI-

EPISTOLA PAULI AD HEBRÆOS.

I.

NOMEN. Dicitur Epiſtola: qvæ vox hoc in loco non ſumitur generaliter, qvomodo à Gregorio lib.4. epiſt. 40.tota ſcriptura V.& N. T. dicitur epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam,in qva verba Dei ſonant, & cor Dei diſcitur: ſed propriè & peculiariter, qvomodo canonici N.T. libri, qvos Paulus, Jacobus, Petrus, Johannes, Judas, Eccleſiæ reliqverunt, Epiſtolæ vocantur; & hoc ipſo nomine ſcriptionis genus indigitatur, qvod nimirum liber non ſit hiſtoricus, nec Propheticus, ſed doctrinalis. Voluit autem Deus myſteria regni cœleſtis in N.T. huncin modum conſcribi,qvia in N.T. demum nobis familiariter per filium locutus eſt,Ebr.1.v.1.Epiſtola enim nihil aliud eſt, qvàm familiare cum amico colloqvium. Scripta eſt ad Hebræos, hoc eſt, ad illos Judæos, qvi Hieroſolymis & in Judæa habitabant, ac Hebræâ lingvâ adhuc utebantur: Sed ita tamen, ut cœteris etiam Judæis ubiqve terrarum diſperſis, operâ eorum, qvi in Judæa erant, fratrum, communicanda fuerit, nam qvod ad doctrinam attinet omnibus erat communis: unde Petrus diſperſis Judæis ſcribens,dicit etiam Paulum ipſis ſcripſiſſe. 2. Pet. 3. v.15. Alii enim Judæi inter gentes per totum terrarum orbem diſſipati erant 1. Pet. 1. v.1. Jacob. 1. v.1. vel pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

pter negotiationes , vel propter bella præcedentium temporum , & in provinciis ab Apoſtolis commemoratis habitabant ut peregrini, interim tamen qvotannis Hieroſolymam ad feſta conveniebant. Joh. 7. v. 35. c. 12. v. 20. His Græca lingva ferè erat vernacula, unde vocabantur ἑλληνιςαὶ & Hebræis opponebantur Act. 6. v. 1. (qvi in occidente & Aſiæ minoris regionibus erant diſperſi Ἑλληνιςαὶ : qvi antiqvas ſedes obtinebant, antiqvâ gentis appellatione Hebræi dicebantur) Helleniſtæ Græca Biblia in Synagogis legebant , Hebræi Hebræa. Erat qvondam ſummum odium inter Helleniſtas Judæos & Hebræos , quod lex gentibus eſſet communicata , nam cùm audiviſſent Judæi Hieroſolymitani ſuam legem Hebræam ab Helleniſtis in lingvam Græcam & profanam tranſlatam , id nefas jejunio anniverſario expiare conſtituerunt. Principaliter tamen ad eccleſiam Hieroſolymitanam ſcripta eſt ut colligitur ex cap. 13. v. 19. 23. Communiter etiam ad cæteras Eccleſias in Judæa 1. Theſſ. 2. v. 14. Chryſoſtomus vult epiſtolam eſſe directam ad Judæos Hiſpanos, cum Paulus biennio Romæ in conducto manens, licentiam in Hiſpaniam excurrendi impetraverit, ibi Judæos inſtituerit, ut poſtea Romam reverſus epiſtolam hanc ſcripſiſerit, ſed loca paulo ante citata contrarium evincunt. Friedliebius nihil obſtare putat, qvo min' epiſtola ad Judæos qvoſvis, tum converſos tũ in diſperſione Chriſtianã fidẽ nondũ profeſſos referatur, cùm epiſtola hæc tũ in his alliciendis, tum in illis circa ceremoniarum Moſaicarum diſceptationem titubantibus, oſtenſo V. & N. T. diſcrimine & umbrarum Leviticarum antiqvatione monſtratâ, confirmandis, occupa-

cupata ſit. Pleriqve tamen cenſent per Hebræos intelligi Judæos ad Chriſti fidem converſos, hi enim dicuntur rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiſſe cap. 10. v. 34. conf. 1. Theſſ. 2. v. 14. pro his Paulus collectam fecit in Achaia, Aſia, Romæ, eos etiam ſæpe ſanctos in Judæa vocavit.

Cæterùm poſteri Abrahæ ex Iſaaco ſeu Iſraelitæ vel Judæi, dicti ſunt Hebræi ab Abrahamo, qvi à Chananæis Hebræus עִבְרִי appellatus eſt, ut colligitur ex Gen. 14. v. 13. vel à עָבַר. i. e. tranſire, qvod Euphratem tranſiiſſet, cùm migravit in Chananæã (ut cenſuerunt LXX. qvi עברי reddiderunt περάτης, id eſt tranſitor) vel à עֵבֶר id eſt Hebero filio Selah, qvaſi Heberæus, qvod ex Heberi poſteris ſolus & præcipuus tum in Chananæa eſſet, ut alij melius ſentiunt (nam עברי nomen gentile eſſe oſtendit terminatio) itaqve ab Abrahamo Hebræo i. e. originè ducente ab Hebero, Hebræi dicti ſunt poſteri Abrahæ ex Iſaaco, apud qvos Hebræa lingva in γλωσσοσυγχύσει Babylonica cũ vera religione ſervata eſt. Unde Ioſephus Antiqvit. lib. 1 c. 7. ait. Judæos fuiſſe ab Hebero Hebræos appellatos. Improbanda verò eſt ſententia Theodoreti, qvi putat Hebræos ab Hebrâ dictos, qvæ vox Scytharum lingva Euphratem ſignificat, qvia Abraham tranſeundo Euphratem in terram Chanaan venit, & eorum, qvi Hebræos dictos volunt, vel qvaſi Abræos à nomine Abrahæ, Abraham enim ſcribitur per א, cùm Hebræus ſcribatur per ע, ipſe etiam Abraham Gen. 14. v. 13. vocatur Hebræus ab avo ſuo Heber Semi pronepote Gen. 10. v. 21. vel qvaſi tranſitivos ſeu tranſitores à עבר, id eſt, tranſire qvod, ad verã Dei cognitionẽ tranſiiſſent, qvẽadmodum

 modum

modum ἀλληγορικῶς exponitur apud Euſebium de Evang. præpar. lib. 7. c. 3. Vide Ambroſiũ in cap. 3. ad Philipp. Auguſt. qvæſt. ſuper Genes. lib. 1. qvæſt. 24. & in qvæſt. de Veteri & Novo Teſtamento qvæſt. 108. item de Civitate Dei lib. 16. c. 3. & lib. 3. retract. c. 16. vide Bibliot. Ravanel. Erant autẽ Hebræi valdè inflati gloria I. Meſſianæ conſangvinitatis & nobilitatis. Rom. 9. v. 5, & cenſebant Meſſiam nihil attinere ad gentes, ſed proprium eſſe ſolis Judæis. II. Promiſſionum & elogiorum divinorum ἐπισημασία. Exod. 19. v. 6. Deut. 4. v. 20. c. 7. v. 6 c. 26. v. 19. c. 33. v. ult. Pſal. 147. v. 19. III. Opinione ſecularis in orbe primatûs ex Meſſia Rege expectati, jamqve ſpe devorati. IV. Ornamentorum choragio. etenim Iſraelitarum erat adoptio. Rom. 9. v. 4. V. Perſvaſione juſtitiæ & ſanctimoniæ, atqve meritorum præjudicio. Rom. 10. v. 3. nam Judæi Majorum ſuorum ac præcipuè Abrahami virtutibus fiſi putabant, qvomodocunqve viverent, ſe ſemper unos manſuros Dei populum neqve Deum tam rigidè cum ipſis qvàm aliis acturum. Vid. Iuſt. Martyr in dialog. Tryph. Hujus opinionis veſtigia non obſcura habemus Luc. 3. v. 8. Joh. 8 v. 33. 35. 39. 40. hinc etiam factum eſt, ut Ethnici præ Judæis fæterent, ceu ἁμαρτωλοὶ καθ' ἐξοχὴν. Gal. 2. v. 15. Ideoqve gentes cùm ad Chriſtum ipſis ἀπρόσιτον accedere vellent parario utebantur. Luc. 7. v. 3. Joh. 12. v. 21. qvod Chriſtus exemplô probare videtur in repellenda Chananæa. Matth. 15. v. 24. Cùm Ionas ex vocatione divina ad Ninivitas mitteretur, maluit à facie Dei fugere, qvàm incircumciſis gentibus verbum Dei annunciare. Petrus Apoſtolus usqve adeò horruit gentes,

tes,ut viſione cæleſti coactus fuerit, ad gentes accedere, & poſtea ab aliis reprehenſus fuit, qvod introiviſſet ad viros præputium habentes. Nec mirum eſt tantum in Judæis fuiſſe tunc ferociæ, quum hodie modis omnibus attriti, & ad extremas contumelias aſſvefacti, ſervili tamen faſtu non deſinant turgere. Erant invidi & odio inſectabantur gentes qvod in gratiam reciperentur. Quô olim odio mulier repudiata ſuper inductam inſectata eſt, eodem gens Hebræa Chriſtianam, inqvit Danhaw. Hodom. Spirit. Cal. p 494. Habebant zelum ſed cœcum οὐ κατ' ἐπίγνωσιν Rom. 10. v. 2. nec aliter ſcribit Brentius ad Act. 10. p. 228 affecti fuerunt Judæi erga gentes in præputio ſuo manentes, qvàm Chriſtiani nunc erga Iudæos & Turcas in Iudaiſmo & Turciſmo ſuo manentes. Nam recipitur qvidem & agnoſcitur Iudæus vel Turca Deo acceptus & ſalutis perpetuæ particeps, ſi relictô Iudaiſmo aut Turciſmo Ieſum Chriſtum fide ſuâ complectatur & baptizetur. At ſi contemptô Chriſtô & baptiſmô maneat in ſua religione, nulla prorſus ſalutis ſpes de ipſo habetur. Ita etſi Iudæi agnoſcebant gentes, qvæ abjectâ gentilitate, h. e. præputio, circumcidebantur, non tamen agnoſcebant gentes, qvæ non recipiebant circumciſionem. Erant moroſi, adqve μεταδιδάσκειν per qvam difficiles, adeò ut non tantùm inconverſi Judæi colla jugo Chriſti ſubmittere nollent, ſed & converſi rancorem qvendam circumtulerint in nonnullos è gentiliſmo Chriſtianos: fermento Pſeudo-Apoſtolico de neceſſitate operum ad ſalutem turgidi. Declarari hæc ἀντιπάθεια poteſt exemplo præſenti Papiſmi & Lutheraniſmi, heu! quàm inviſi, qvàm exoſi. Lutherus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

cum Rom. Synagogam deficibilem ſcripſit, cum apoſtatâſſe; cum primatum illi abnuntiavit, contra Lutheranis noviſſimis primatum in regno Chriſti aſſeruit, qvos lapides locutus eſt? qvos crabrones concitavit? Vid. Danhaw. Hodom. Spir. calv. p. 494. & alibi.

II. AUCTOR. Hanc epiſtolam Pauli eſſe. 1. Teſtantur multi Patres. Hieronymus hanc epiſtolam Pauli eſſe affirmat Epiſt. 129. ad Dardanum. Epiſtolam, inqvit, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab eccleſiis orientis, ſed & ab omnibus retrò eccleſiis & Græci ſermonis ſcriptoribus, qvaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plæriqve eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe, cujus ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & qvotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſvetudo non recipit inter ſcripturas Canonicas: nec Græcorum qvidem Eccleſiæ Apocalypſin Iohannis eâdem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos utramqve ſuſcipimus, neqvaqvam hujus temporis conſvetudinem, ſed veterum Scriptorum auctoritatem ſeqventes. Athanas. Dialog. 1. de ſancta Trinitate. ἀφ᾽ οὗ κατηγγέλη τὸ ἐυαγγέλιον Χριστοῦ, Παύλου εἶναι πεπίστευται ἡ ἐπιστολή. Ex qvo annunciatum eſt Evangelium Chriſti, hanc epiſtolam Pauli eſſe creditum fuit. Paulinam adſtruunt Clem. Alexandr. referente Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccles: cap. 11. Sub nomine Pauli ponitur in catalogo ſcripturarũ à concil. Laodic. can. 59. Carthaginenſi. 3. can. 47. Rom. ſub Gelaſio. Theophyl. miratur eorum impudentiam qvi Pauli eſſe negant. Hilar lib. 12. de Trinit. Ambros. lib. 2. de Cain. cap. 2. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. Ruff. in Symb. Avitus Viennenſis Carm. Iſidor. lib. 6. Originum.

ginum. Caſſiodor. lib. 1. divin. lect: cap. 4. eam ut Paulinam allegant, qvod etiam facit Gregorius lib. 5. moral. c. 3. Ambroſius in Pſal. 119. vocat Paulinam, & in eam ut Paulinam commentarium ſcripſit: plura vide in Brochmanni noſtri confutat. Apolog. p. 354. & 429. Beza in annotationibus teſtatur ſe in omnibus ſuis codicibus, unô tantùm exceptô inveniſſe hanc inſcription. Παύλου τοῦ Ἀποστόλου ἡ πρὸς ἑβραίους ἐπιστολή. & in 1. ad Timoth c. 1. v. 2. notat tres vetuſtos codices ſubjeciſſe poſteriori ad Theſſalonicenſes epiſtolam ad Hebræos, neqve dubitat, qvin id ab iis factum ſit, qvi cùm nihil ambigerent epiſtolam illam ad Hebræos à Paulo ſcriptam eſſe, putârunt eam commodius reliqvis Epiſtolis conjungi, qvæ Eccleſiis inſcribuntur: qvibus demum ſubjiciuntur, qvæ ad ſingulares homines perſcriptæ ſunt. Ex recentioribus Paulinam eſſe docent Flac. in annot. N. T. in proœm. hujus epiſtolæ. Chytræus in Onomaſt. p. 186. Gerhard in Exeges. &. annot. in h. epiſt. Brochman. in Syſtemate & confutat. Apolog. p 354. Fridlieb. in hanc epiſtol. & medulla Theolog. p. 148. Ex Calvinianis Piſcator in anal. Ex Pontificiis Lindanus lib 4. panopl. c. 100 Bellarm. lib. 1. de V. D. c. 17. Eſtius in præfatione hujus Epiſtolæ. 2. Auctor hujus epiſtolæ commendat celebrem qvendam Diſcipulum Timotheum, qvem habuerit cap. 13. v. 23. at nemo talem habuit præter Apoſtolum Paulum. 3. Vincula in Italia cap. 10. 34. idem comprobare videntur. Phil. 1. v. 7. ſeqq. Col. 4. v. 18. 2. Tim. 2. v. 9. 4. Multa cnm Paulo axiomata eadem habet. confer Heb. 1. v. 2. & 3. cum. Col. 1. 14. 15, 16, 17. item Heb. 5. v. 12. 13. cum 1. Cor. 3. v. 1. & 2. item. Heb. 9. v. 15. cum Rom. 3. v. 25.

item

item Heb.10. v.34.cum 1.Theſſ.2.v.14.item Heb.11. v.12. cum Rom. 4. v. 18. 19. item Heb. 12. v. 1.cum 1.Cor.9.24. item Heb.13. v.9.cum Epheſ.4. v.14.item Heb.13.v.15.16.cum Rom.12.v.1.& 2. item Heb.13. v.18.cum 2.Cor.1.v.11.12. 5. Petrus.2.Epiſt.3.v.15. teſtatur Paulum ad Hebræos ſcripſiſſe. Nam ad Hebræos Petrus priorem ſuam epiſtolam exaravit. cap. 1. v. 1. & ad eosdem etiam poſteriorem ſcriptam eſſe, conſtat ex 2. Epiſt. c.3.v.1. Cùm igitur certum ſit Paulum ad Hebræos ſcripſiſſe, fatendum nobis erit, aut epiſtolam illam interiiſſe, aut hanc ipſam eſſe. At interiiſſe nequaqvam probabile eſt, cùm Deus in uſum eccleſiæ conſervare voluerit epiſtolam ad Philemonem, qvæ principaliter de negotio privato tractat, cujus jacturam tanti non eſſe videri poſſet. Hanc autem ipſam eſſe inde concluditur, qvod omnia in illa conditioni Hebræorum ſapientiſſimè ſint accomodata: qvippe qvi in lege educati Sacerdotium Leviticum perpetuò duraturum opinabantur: qvæ falſa, opinio per hanc epiſtolam iis eximitur. 6. Petrus dicit Paulum ſcripſiſſe pro datâ ſibi divinâ ſapientiâ: At divina illa ſapientia in ſententiis & verbis hujus epiſtolæ elucet. 7. Petrus ibidem teſtatur inter ea, de qvibus Paulus in epiſtola ad Hebræos & in reliqvis epiſtolis ſcribit, eſſe quædam δυσνόητα, qvæ indocti parumq; ſtabiles detorqvent. Atqui talia occurrunt cap. 6. &. 10. hujus epiſtolæ. 8. Paulus. 2. Theſſ. 3. v. 17. affirmat, ſe omnes epiſtolas ſuas claudere horum verborum ſubſcriptione: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum vobis omnibus, Amen. & hôc ipſô ſignô vult epiſtolas ſuas agnoſci, &

à reliqvis diſcerni, jam verò illa clauſula in fine hujus epiſtolæ reperitur. c. 13. v. 28. 9. Eadem methodus obſervatur in hac epiſtola, qvæ in reliqvis Paulinis. Primùm namqve exponitur myſterium ſalutis per Chriſtum nobis datæ, & ex illo poſtmodum deducuntur exhortationes ad ſtudium pietatis. 10. Majeſtas Apoſtolica ex multis indiciis colligitur. 11. ſive doctrinam ipſam, ſive dicendi modum reſpicere velimus, apparebit eam eſſe ab Apoſtolo ſcriptam & eſſe canonicum Novi Teſtamenti ſcriptum.

At alii hanc epiſtolam Pauli eſſe negant, & hiſce utuntur argumentis. I. Deeſt inſcriptio & uſitata Pauli ſalutatio. Quidam reſpondent, Paulum fuiſſe Judæis exoſum, itaqve omittere voluiſſe nomen, ne mox ab initio abalienarentur, prius enim adhæſerat Judaiſmo, & Chriſtianos erat perſecutus, poſtea verò fidem Chriſtianam receperat. Paulus igitur omiſſione nominis præcavere voluit, ne Hebræi viſô titulô, ſtatim abjicerent epiſtolam. Beza in hanc epiſt. p. 483. Paulo juſta cauſa fuit cur ἀνώνυμον epiſtolam Hieroſolymam mitteret: qvod ſummè exoſum ſciret eſſe nomen ſuum Hieroſolymitanis, Chriſtiani nominis hoſtibus, ac proinde illorum rabiem jam graſſantem, & occaſione fortaſſe captivitatis ipſius Pauli exacerbatam, ut conjicere licet ex cap. 10. v. 33, 34. nollet appoſitô ſuo nomine adverſus eccleſiam inflammare. At contra allatam reſponſionem excipitur. Si Paulus Hebræos ignorare voluiſſet ſe hujus epiſtolæ ſcriptorem eſſe, non feciſſet mentionem Timothei tanqvam fratris & aſſeclæ, qvippe hinc facilè poterat agnoſci. At Timothei mentionem facit cap. ult. circa finem.

 Reſpon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Reſpondent alii. Non voluit omninò ignorari Paulus ſe hanc epiſtolam ſcripſiſſe, ſed voluit id iis, qvi eam legiſſent innoteſcere, ſed tempeſtivè, non ſtatim ab initio, ne nominis ipſius odio ab epiſtolæ lectione vel auſcultatione reſilirent: ſed demumpoſt epiſtolam jam lectam. Idcirco ſub finem ſeſe patefecit, qvanqvam idem antea qvoqve fecerat, videl. c. 10 v. 34. ubi mentionem facit vinculorum ſuorum, veruntamen poſt doctrinam de Chriſto jam expoſitam. Piſcat. ad hanc epiſt. Sed ſaltem eſt conjectura. Thomas & Theodoret. dicunt, ideò factum, qvod non fuerit Apoſtolus Judæorum. Gal. 2. v. 9. At contrarium apparet ex Act. 13. v. 46. c. 28. v. 23. qvod ergo gentium Doctor & Apoſtolus dicitur. 1. Tim. 1. v. 7. non eſt excluſive intelligendum. Quidam propterea in epiſtola ad Hebræos nomen omiſſum eſſe putant, qvod hæc epiſtola ſit ſcripta per modum libri, non per modum epiſtolæ, in fine enim dicit v. 22. Paucis ſcripſi vobis, qvod de epiſtola non dixiſſet cùm ſit prolixiſſima epiſtola. Hieronymus in cap. 1. ad Gal. hanc omiſſionis rationem adfert, qvia Apoſtolus in hac epiſtola c. 3. v. 1 nominaturus erat Chriſtum Apoſtolum confeſſionis noſtræ, noluit initio ſe more ſolitô Paulum Apoſtolum nominare, ne videretur ſe cum Chriſto aliqva ex parte conferre. Rectius reſpondetur 1. cum Hieronymo, conſequentiam negandam eſſe, poſſet enim pari jure concludi. Nomen Auctoris abeſt, ergo nullius Auctoris eſt. Beza in hanc epiſtolam ait, ego ex hoc ipſo contenderim Pauli potiùs eſſe qvàm alterius cujusqvam, cur enim alius qviſpiam ſuum nomen reticuiſſet. Ut ut ſit, ſive caſu, ſive certô conſilio ἐπιγραφὴ & ſaluta-

lutatio ab initio omiſſa, vel poſtea ſublata, certi nihil inde colligi poteſt. Non negatur Hebræis inſcripta eſſe, licet inſcriptio deſit, cur ergo dicemus non eſſe Pauli, qvod nomen Pauli eidem non ſit præfixum. 2. Prima Johannis itidem non habet nomen titulo adjectum, de qvâ tamen non dubitatur qvin ſit Johannis. Ideoq́; ex inſcriptione tantum affirmativè non negativè concludendum eſt: nam accidit qvendam librum nomine ſcribentis inſigniri, & vice verſa accidit, non inſigniri. 3. Beza in omnibus codicibus ſuis, unô tantum exceptô, teſtatur ſe inveniſſe hanc inſcriptionem, Παύλου τοῦ Ἀποστόλου ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολή. Veriſimile igitur Pauli nomen prius fuiſſe adſcriptum, poſtea ſublatum. II. Loqvitur de ſe tanqvam Apoſtolorum diſcipulo. c. 2. 3. Paulus autem negat ſe eſſe diſcipulum. Gal. 1. v. 12. 22. c. 2. v. 6. ℞. Hæc intelligenda ſunt per ἀνακοίνωσιν, qvâ is, qui loqvitur aut ſcribit, ſe auditoribus aſſociat, & qvæ ad ipſos propriè pertinent, ad ſe tranfert. 1. Cor. 4. v. 6. Heb. 3. v. 6. 1. Cor. 11. v. 31. 32. cap. 15. v. 51. 1. Theſſalon. 4. v. 15. 17. Id etiam probat hic ipſe locus citatus. Auctor enim epiſtolæ non fuit talis, qvi ſalutem negligeret. Nec opus eſt cum Beza in notis ſtatuere vitium, qvaſi εἰς ὑμᾶς legendum ſit repugnante omni codicum Græcorum, Syrorum, Arabicorum, conſenſu. 2. Diſtingvimus inter primam vocationem & ſecutam confirmationem: illa fuit immediata Gal. 1. hæc mediata & depingitur hôc locô; confirmatus enim eſt Paulus ab Anania, & aliis 3. loqvitur de iis, qvi cum Domino fuerunt diſcipulis nempe & Apoſtolis, in quorum numerum demum poſt reſurrectionem fuit receptus & hac receptione magis ma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

giſqve confirmatus. 4. Dicitur hôc ipſô loco ſermonem per ipſum Dominum primùm cepiſſe ſibi enarrari, cum qvo ſecuta confirmatio ſtare poteſt. 5. Diſtinguendum eſt inter confirmationem doctrinæ, qvæ fit inſtitutione & miraculoſâ operatione. Paulus quidem non eſt confirmatus ex miraculoſâ eorum operatione, ſed tamen inſtitutione communis doctrinæ. Vid. Friedlieb in h. l. III. Duriora videntur loca, qvæ peccatoribus veniam negant. cap. 6. v. 4. c. 10. 26. cap. 12. v. 17. Reſp. 1. Hôc argumentô etiam ipſa canonica auctoritas in dubium vocatur: & certè non minùs Evangelia Matthæi & Marci, imò vox Chriſti qvoqve eſſent repudianda, utpote qvæ eodem plane ſenſu peccatum in Spiritum S. irremiſſibile dicunt, qvod neqve in hoc, neqve in venturo ſeculo remittatur. 2. Rectè explicanda ſunt ex viſceribus textûs. Cap. 6. v. 4. de apoſtaſiâ univerſali loqvitur Apoſtolus, quæ fit ex propoſito, & ex obſtinata malitia, & cum blaſphemia eſt conjuncta: non autem de peccatis humanâ infirmitate adverſus primam vel ſecundam tabulam admiſſis. Ideoq; committitur fallacia à dicto ſecundum qvid ad dictum ſimpliciter, & malè à certâ peccantium ſpecie ad omnes in genere peccantes colligitur. David, qvi verè fuit regeneratus prolapſus eſt in peccata verè mortalia adulterii ſimul & homicidii, & qvidem deſtinatâ voluntate, non enim ut Loth ebrius cum filiabus, ſic ipſe temulentus & per ignorantiam cum Bathſeba uxore Uriæ concubuit: ſed ſciebat, qvid ageret. Innocentem Uriam doloſè & perfidè hoſti prodidit: & ſimul cum eo multos alios bonos viros morti objecit. Petrus veritatem agnoverat eandémqve

qve

qve ſic agnitam abnegavit, & nihilominus uterqve receptus eſt. Idem probat parabola evangelica de filio prodigo à patre benigniſſimo in gratiam recepto. Sane ſi qvodlibet peccatum contra conſcientiam hìc intelligeretur, nullus omninò Chriſtianus adultus ſalvaretur. Quis enim affirmare auſit ſe, non aliqvando aliqvid commiſiſſe, qvod in conſcientia ſua ipſe probare non potuerit. Loqvitur ergo Apoſtolus non de qvibusvis, ſed graviſſimis & ingratiſſimis cùmprimis contumacibus Apoſtatis, & huc contendit Chriſtus. Matth. 12. v. 32. Hos inqvit Paulus, impoſſibile eſt renovari ad pœnitentiam, ſi ſpectes communem ordinem ſalutaris gratiæ, qvam Deus per media dat, juxta qvam videmus, tales rariſſimè, & vix ûnqvam converti. De gratia Dei extraordinaria non eqvidem dubitandum, at ille ſimul juſtitiam ſuam exercens rariſſimè eam communicat, & ſic impoſſibile ſumitur pro difficili, ſicut Matt. 19. v. 23. difficulter intrabit dives in regnum cœlorum. v. 26. apud homines hoc impoſſibile. Quidam referunt ad pœnitentiam illam, qvæ eſt poſt hanc vitam, cui non obtingit peccatorum remiſſio, ſic gloſſa interlinearis ſuper hæc verba. Qvidam referunt ad pœnitentiam per viam baptiſmi, qvia enim apud Judæos erant qvædam lavacra inſtituta, qvibus pluries ab immunditie ſe purgabant, credebant alii Judæorum, qvod etiam per lavacrum baptiſmi aliqvis pluries per baptiſmum purificari poſſet, ad qvod excludendum Apoſtolus ſcribit Judæis: Impoſſibile eſt eos, qvi ſemel ſunt illuminati per baptiſmum (patet enim ex Dionyſio & aliis baptiſmum olim dictum φωτισμὸν) rurſus renovari ad reſipiſcen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

tiam ſc: per baptiſmum. Sed commodiſſima eorum videtur ſententia, qvi locum hunc accipiunt de peccato in Spiritum S. qvod non remittitur. Obſervandæ igitur omnes deſcriptiones ſubjecti: Loqvitur Apoſtolus de iis, 1. qvi ſunt illuminati, qvi agnoſcunt agnitæ veritatis lucem & certitudinem. 2. qvi guſtaverunt donum cœleſte, i. e. qvi ſvavitatem evangelii in corde perceperunt & guſtum aliqvem æternæ beatitudinis ſenſerunt. 3. qvi participes facti ſunt Spiritûs S. per qvem obſignati ſunt, tales ſi nihilominus 4. prolabantur παραπεσόντες, i. e. ſi deficiant penitus ab agnitâ & illis obſignata veritate. 5. & crucifigant ſibi ipſis rurſus filium Dei, eum deniqve offenſui habeant, id eſt, ſi non metu aliqvo abnegant veritatem ſed ex deſtinata malitiâ, & contra conſcientiæ & Spiritus S. internum teſtimonium eò impietatis progrediantur, ut Chriſtum & ejus evangelium calumniis & convitiis inſectentur. Jam demum ſeqvitur prædicatum, illos ad pœnitentiam renovari impoſſibile eſt, ſcilicet, qvi medium illud, per qvod Spiritus S. in illis converſionem vult operari, petulantiſſimè repellunt. Ideoq; impoſſibile hoc eſt non ex parte Dei, ſed ex parte hominum in Spirit. S. peccantium, & qvidem non ἁπλῶς, qvia blaſphemos in Spirit. S. Chriſtus ad pœnitentiam invitat Matth. 12. v. 33. ideoq; potuerunt adhuc converti: verum ex hypotheſi, qvia eiusmodi apoſtatæ contumaci ſua pertinaciâ Diabolo ad indurationis opus locum præparant, ut poſtea difficulter vel planè non exinde liberari poſſint, Spiritum enim gratiæ contumeliâ conſtanter afficiunt, hinc etiam c. 10. v. 26. ait Apoſtolus, οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία. ſcilic. applicativè.

Pruck-

Prückner.vind.adHebr. c.10.v.26. VeteresNovatiani erroris anſâ ex hoc dictô arripuerunt,& auſi ſunt Eraſmus, Cajetanus, propter hanc ſuſpicionem ipſam epiſtolam repudiare. Cap. 10. v. 26. Ex hoc loco itidem Novatiani hæretici olim perperam docuerunt & collegerunt, qvemlibet graviorem lapſum intercludere reditum ad ſinum divinæ miſericordiæ: nam hìc non intelliguntur peccata,qvæ fiunt ex ignorantia, aut infirmitate, ſed ſpecialiter & propriè peccatum in Spiritum S. ſcilicet agnitæ veritatis contra conſcientiam abnegatio, ejusdémqve oppugnatio ex Diabolico odio & deſtinatâ malitiâ profecta. v. 29. Exempla habemus in Juliano Apoſtata, Ario & aliis. Tale Peccatum in Spir. S. uti ſub pœnitentiam non cadit, ita remiſſionem nunqvam impetrat. Matth. 12. v. 32. Marc.3.v.29.non tamen eſt par ratio peccati in Spirit. S.& reliqvorum peccatorum, nam irremiſſibilitas eſt adjunctum non omnibus peccatis commune, ſed tantum peccato in Spirit. S. In cap. 12. v. 17. non agitur de pœnitentia Eſavi ad ſalutem, ſed ad recuperandam primogenituram. Reprobatus eſt non abſoluto Dei odio & decreto à ſalute, ſed à parente Iſaaco repudiatus,id eſt, repulſam tulit,non obtinuit qvod petebat.Confirmant hanc expoſitionem Eſtius & Toſſanus; qvin & Beza ineptos dicit eos, qvi locum hunc de æternâ Eſavi reprobatione exponunt. Eſau non invenit locum pœnitentiæ, id eſt, habuit Eſau pœnitentiam pænæ, non pœnitentiam culpæ. Non loqvitur Author de pœnitentia admiſſi, qvaſi veniam illius per lachrymas ſuas adipiſci non potuerit, ſed de pœnitentia amiſſi, qvod per lachrymas amiſſam & à fratre

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

præreptam benedictionem recuperare non potuerit. Hinc Biblia Norinberg, in h. l. **Es waren nicht bußfertige Hertzens threnen / ſondern nur ſchmertzens threnen / mit welchen er allein ſeinen erlittenen ſchaden / nicht aber ſeine Sünde und boßheit beweinete.** Seu, qvod eòdem redit, non loqvitur de pœnitentia Eſavi, qvâ doleret ob peccata ſua, qvam invenire ſanè potuit, ſed de pænitentia parentis, qvam invenire non potuit, eò qvòd pater nullis precibus & lachrymis poterat adduci, ut benedictionem in Jacobum collatam revocaret. Vox igitur pœnitentiæ paſſivè accipitur pro pœnitentia non Eſavi ſed parentis Iſaaci Gen. 27. v. 33. Si maximè activè accipiatur, tamen non fuit vera, qvia eô ipſô temporis puncto Gen. 27. v. 41. in corde dixit: appropinqvabunt dies luctûs parentis mei & occidam fratrem. Ἐκζητήσας αὐτὴν, Lutherus retulit ad propinqvius, qvæſivit cum lacrymis μετάνοιαν, id eſt, ſperabat ſe lachrymis ſuis parentem ſuum permovere poſſe, ut benedictionis in Jacobum collatæ ipſum pœniteret. Alii referunt ad remotius nempe ad εὐλογίαν, ſed res eòdem redit. Gen. 27. v. 38. Vide ad hæc loca Gerhard. Oſiand. Hunnium, Quiſtorpium, Friedliebium, Bezam, Piſcatorem, Interpretes Belgicos & alios.

IV Locus cap. 9. v. 4. videtur repugnare libris canonicis. Levit. 16. v. 18. ex qvo loco conſtat thuribulum fuiſſe extra in atrio Sacerdotum, & 1. Reg. 8. 9. ubi dicitur in arca non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ ℞. Conciliationem variè inſtituunt interpretes. Conſtat thuribulum (alii aram ſuffitûs vertunt) fuiſſe in atrio Sacerdotum proximè ante velum, & non in ſancto ſanctorum. Vid. Exod. 30. v. 6. & deinceps,

qvia

qvia ad hoc qvotidie accedebant Sacerdotes, & in eo ſuffitꝰ adolebant. Exod. 30. v. 7. At in S. Sanctorũ ſemel qvotannis ingredi fas erat, idqve ſoli Pontifici Maximo. Heb. 9. v. 7. conf. Levit. 16. v. 2. ſeq. Obiter hic noto, Sigonium contra Script. S. Talmudicorum omnium Rabbinorumq; judicia (qvæ ſemper apud omnes permagnum habuere pondus, qvoties de patriis ritibus eorum, ceremoniisq; orta diſceptatio eſt) affirmare, qvod Pontifex qvidem ſemel qvotannis ſolus at qvotidiè cum aliis intraverit. Quidam putant thuribulum hoc, non eſſe thuribulum illud aureum, cujus fit mentio apud Moſen, ſed aliud qvoddam in Sancto Sanctorum collocatum, forte temporibus primi & ſecundi templi poſt Moſen, qvemadmodum & alia ſunt immutata, ſed loqvitur Paulus de tempore Moſis ejusqve tabernaculo. Quibusdam veriſimile eſt illud aureum thuribulum fuiſſe ſummi Sacerdotis proprium, qvo uſus eſt, qvando in Sanctum Sanctorum eſt ingreſſus, verùm hæc opinio Scripturæ fundamento caret. Alii accipiunt de aureo altari thymiaterii, qvod proximè ante Sanctum Sanctorum fuit poſitum, & ſolutionem qværunt in voce ἔχουσα, qvam tali ſenſu exponunt, ut non dicatur aureum hoc thuribulum poſitum fuiſſe in Sancto Sanctorum, ſed qvod fuerit in conſpectu ſancti ſanctorum in templi planitie. Sic urbs dicitur habere agros, qvi tamen non intra ipſam, ſed extra & circumjacent. Vid. Cornel. à Lapide. Biblia Norimb. in h. l. Die hatte den Güldenen reuchfaß/ i. e. Den Reuchaltar mit Golde überzogen/ welcher für dem Herrn/ daß iſt nahe für dem allerheiligſten ſtund 2. Buch Moſis 40. v. 5. 26. Von welchem der hohe Prieſter ein napf vol glüt

nam / Vnd daß heilige Reuchwerck darauff thäte für dem Herrn / daß der Nebel vom Reuchwercke den gnadenſtuel bedeckt / wenn er in daß allerheiligſte eingehen wolte. Levit. 16. v. 12. 13. Secundi loci conciliationem petunt alii ex diverſitate temporum. 1. Chryſoſtomus & Theophylactus reſpondent tempore Moſis ſolas tabulas fuiſſe in arca, ſed poſtea à Jeremia urnam qvoqve auream cum Manna, & virgam Aaronis in arcam repoſitam fuiſſe, ut in ea melius ſervarentur, & Gentilium deprædationibus in qvantum fieri poſſet ſubtraherentur, idqve Paulum traditione accepiſſe à Gamaliele. Atqvi Paulus non loqvitur de tempore Jeremiæ, ſed Moſis ejusqve tabernaculo. 2. Catharinus reſpondet tempore Moſis hæc omnia in arca fuiſſe, ſed tempore Salomonis ſolas tabulas. At Scriptura innuit, tempore Moſis ſolas tabulas in ea fuiſſe. 3. Cornelius à Lapide præpoſit. IN. amplè ſumi, & complecti tam ea, qvæ proprie erant in arca, ut tabb. legis, qvàm ea, qvæ juxta arcam erant, ſicut erant urna, & virga: ut enim varii modi habendi, ita & exiſtendi. Piſcator in h. l. Quod autem in arca fuiſſe dicit, non ſolùm tabulas fœderis, ſed etiam urnam & virgam Aaronis, commodè interpretandũ eſt: nam ſolæ tabulæ intra arcam reconditæ fuerunt, urna & virga coram arca. 1. Reg. 8. v. 9. Exod. 16. 34. Num. 17. v. 16. Præpoſitio igitur ἐν valet partim *in*, partim *juxta*. *In* qvatenus refertur ad tabulas: *juxta*, qvatenus refertur ad reliqva duo. Hactenus Piſcator. Sic Judic. c. 18. v. 12. καὶ ἀνέβησαν καὶ παρενέβαλον ἐν Καριαθιαρεῖν, & aſcenderunt & caſtra locarunt in Cariathiarim, h. e. juxta Cariathiarim. ſic. 2. Cor. 13. v. 4. ἐν αὐτῷ cum illo, ſic Græci dicunt ἐν πόσιν ante

pedes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

pedes. Epiphanius libro de menſuris & ponderibus dicit libros canonicos fuiſſe in arcam Teſtamenti repoſitos, qvi tamen erant ſaltem juxta arcam poſiti. Deut: 31. v. 16. 2 Reg. 22. v. 8. Quidam 4. referunt pronomen relativum ἐν ᾗ non ad nomen proximum κιβωτὸν ſeu arcam, ſed ad remotius σκήνην tabernaculum, hoc ſenſu, in tabernaculo: ut ſic non in arca ſed penes arcam fuerit urna & virga. Sic & Chriſtus paſſus eſt in Jeruſalem i.e. ante, penes. Sed ſi de eo adhuc loqveretur, continuaſſet ſermonem ex participio præcedente ἔχουσα ad hunc modum. Καὶ τὴν χρυσῆν στάμνον, ἐν ᾗ τὸ Μάννα, καὶ τὴν ῥάβδον καὶ τὰς πλάκας, obſtat etiam v. 5. ſuper qvam arcam erant Cherubin, in eadem erant urna & virga. 5. Arca ſummitur dupliciter vel pro tota ſtructura, unà cum receptaculis lateralibus, vel determinatè pro ipſo corpore. Quod enim talia receptacula lateralia fuerint in arca colligitur ex Deut. 31. v. 26. ponite librum legis in latere arcæ. 1. Sam. 6. v. 8. capſulam cum muribus aureis poſuerunt ad latus arcæ. Biblia Norinberg. 1. Reg. 8. v. 9. Ob wol Hebr. 9. 4. Vermeldet wird daß in der bundeslade nicht allein die Taffeln des Teſtamentes/ ſondern auch die gůldene Gelte / darinnen daß Himmelbrod auffgehoben war. 2. B. Moſis. am 16. v. 33. 34. Vnd die Ruthe Aaronis die gegrůnet hatte. 4. B. Moſis am. 17. v. 10. geweſen ſein / ſo iſt doch da fůr zu halten / daß dieſe beide ſtůcke / die Gůldene Gelte vnd Aarons ruthe / nicht mitten in der Lade unter der Gnaden-thron / ſondern auff der Seiten der Laden in ſonderbahren kåſtlein behalten worden. 5. B. Moſis am 31. v. 26. 1. Buch. Samue. 6. Vide Authores ante citatos & Symphoniam Scarpii.

V. Diverſitas ſtyli R. 1. Contrarium collgitur ex

ſimilitudine phraſium ſupra notata, & ex methodo. 2. ea etiam occurrit in cœteris Apoſtoli Pauli epiſtolis: meliori ſtylo compoſita videtur epiſtola ad Epheſios, qvàm aliæ: Sic alio ſtylo utitur in epiſtola ad Romanos, qvàm in illa ad Galatas. VI. Quidam objiciunt Patrum teſtimonia. Reſp. Patres Patribus opponimus. Græci de ea nunqvam dubitârunt. VII. Cap. 6. v. 12. mentio fit Catechiſmi. Atqvi mos ille poſt Pauli ætatem cepiſſe videtur. Reſp. At Pauli tempore in uſu fuiſſe conſtat ex Gal. 6 v. 6. Act: 18. v. 25. 26. in qvibus locis κατηχίζειν ſpecialiter uſurpatur de illis, qvi prima veræ religionis fundamenta in Eccleſiis docebant. VIII. Auctor Epiſtolæ dicit, v. 1. cap. 6. ſe non jacere fundamenta doctrinæ, qvod tamen Apoſtoli faciunt. Reſp. Per fundamenta intelligit elementa doctrinæ, pro incipientibus, qvæ ponere non putabat neceſſarium, oportebat enim Hebræos pro temporis ratione doctores eſſe cap. 5. v. 12, hoc eſt, tanto jam tempore audiverant doctrinam Evangelii de Chriſto, ut non deceat iis amplius rudimenta illius doctrinæ proponere qvippe qvi jam tantum debeant profeciſſe, ut ipſi alios docere poſſint. Vult ergo Apoſtolus ut ad uberiorem myſteriorum divinorum cognitionem adſpirent, & dociles ſe præbeant ad doctrinam de Chriſto perfectam & accuratam atqve ſublimem percipiendam, ſicut maximè jecit fundamenta doctrinæ in hac epiſtola de perſona & officio Chriſti, de fide, remiſſione peccatorum &c. IX. Non deſunt, qui Tertulliano eam adſcribunt. R. Facilè hoc refellitur. 1. ex ſtylo diverſiſſimo. 2. Qvia Tertullianus latine ſcripſit, non Græcè, nec ei qvicquam commune cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Hebræis, ut ad eos epiſtolam ſcriberet. 3. Quod Clemens uterqve Rom. & Alexandr. Tertulliano antiqviores hujus epiſtolæ meminerunt. 4. qvod Tertullianus ipſe eam Barnabæ tribuit. X. Sunt, qvi Barnabæ tribuunt, ſed veteres non niſi unam ab eo ſcriptam eſſe agnoverunt epiſtolam, eam autem fuiſſe plane diverſam, manifeſtè patet ex Clemente Alexandrino, qvi Stromatum lib. 2. & 5. complures ex epiſtola Barnabæ ſententias recitat, qvarum nulla hic legitur. Agens autem in eodem opere de epiſtola ad Hebræos, non Barnabæ ſed Paulo eam cenſet adſcribendam. Nec tantam fuiſſe eloqventiam Barnabæ, qvantam fuiſſe auctoris hujus epiſtolæ res ipſa loqvitur Act. 14. v. 11. Paulum vocant Mercurium, qvia erat ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. XI. Nec eſt Clementis, ut vult Eraſmus in fine annotat. ad h. epiſt. 1. qvia non tantæ fuit apud Hebræos auctoritatis, ut de profundis Chriſtianæ fidei myſteriis ad eos inſtituendos literas daret. 2. Adde, qvod ipſe Clemens dum in ſuâ ad Corinthios epiſtolâ ſubinde ſententias ex Epiſtola ad Hebræos intexit, alterius eam Auctoris eſſe qvàm ſuam planiſſimè oſtendit. 3. Stylus & dictio non eſt hominis Romani, ſed Hebræi Græcè periti. 4. Nec illud in Clementem qvadrat, qvod in fine epiſtolæ habetur, ubi Auctor rogat Hebræos, ut pro ſe orent, qvò celerius ipſis reſtituatur. Cùm enim Clemens eſſet Epiſcopus Romanus non in Judæa ſed Romæ eum morari oportuit. XII. Non eſt Lucæ, qvippe qvi nec ipſe tantæ apud Hebræos auctoritatis fuit. XIII. Lactantius, Arnobius nuſpiam illam citant. Reſp. Arnobius & Lactantius nec aliàs niſi rariſſimè citant ſcri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ptùras. Erat enim illis diſputatio contra gentiles, apud qvos Scripturarum, qvas ipſi non recipiebant, fruſtrà proferebatur auctoritas. XIV. 1. Auctor dubius eſt, Lutherus in cap. 48. Gen. fol. 643. Apollo hujus Epiſtolæ auctorem arbitratur. In præfatione hujus epiſtolæ verò aſſerit eam nec Pauli, nec alius Apoſtoli eſſe, cum cap. 2. v. 3. profiteatur ſe Apoſtolorum diſcipulum qvod de ſe Paulus negat. Gal. 1. v. 12. 2. Lucas Oſiander in præfatione hujus epiſtolæ dicit: magis in eam ſententiam inclino, qvod Apollo hanc epiſtolam ſcripſerit propter ferventem zelum, qvi in hoc ſcripto conſpicitur. Barnabas enim mitiori fuit animo, qvantū ex actis Apoſtolicis deprehendi poteſt. 3. Origenes putat eam à diſcipulo qvodā Apoſtolorū ex ipſorū doctrina collectam eſſe. ℞. 1. ad Lutheri objectionem antea reſponſum. 2. propter ferventem zelum, qvi in hac epiſtola conſpicitur, eam meritò Paulo attribuimus, eum enim Mercurium appellant: qvia erat ἡγούμενος τοῦ λόγου Act: 14 v. 11. 3. Origenes putat non probat eam à diſcipulo qvodam Apoſtolorum eſſe conſcriptam. Qvidam de hujus epiſtolæ ſcriptore dubitantes dicunt: Der Meiſter der Epiſtel an die Hebreer. ſed hæc locutio eſt incommoda, qvia enim eâ Auctorem ſecundarium notare volunt, non eſt ille Magiſter, ſed miniſter hujus epiſtolæ. Vide Auctores ante citatos.

III. AUCTORITAS. Manichæi veteres hanc epiſtolam planè rejecerunt, & hodie Photiniani, ſed canonicam hujus epiſtolæ auctoritatem aſſerunt. 1. Scripta eſt ab Apoſtolo Paulo. Ergo eſt apoſtolica & canonica, vide numerum præcedentem. 2. adſunt

interna κριτήρια, ſtyli majeſtas, rerum pondera, verborũ δεινότης, divina in animis hominum efficacia. 3. Eccleſiæ teſtimonio gaudet. Vide num. antecedentem. 4. Nihil habet cum canonicis Scripturis pugnans. 5. Veteres non tam de canonica auctoritate, qvàm de Auctore ſecundario dubitârunt. Sic neqve certò conſtat, qvis Author Jobi & plurium aliorum. Nos tamen (quia fieri non poteſt, ut poſterior Eccleſia habere poſſit certa teſtimonia de Authore, cum illis antiqvior Eccleſia fuerit deſtituta) libenter patimur eam ad canonicos libros ſecundi ordinis referri, cum à qvibusdam veteribus catholicis de ea qvoad authorem aliqvãdiu fuerit dubitatũ. Sic Lutherus noſter qvoad nomen Auctoris non qvoad rem, hanc epiſtolã inter δευτεροκανονικὰ retulit. Sed aliqvi plane negant hanc epiſtolã eſſe Canonicã, qvia cap. 11. 21. c. 9. 19. ex V. T. citantur, qvæ ibi non extant, & qvia nonnulla haud ſatis dextrè referuntur. c. 1. v. 6 c. 10, v. 5. At maximè falluntur nt brevi videbimus. Heb. 11. v. 21. προσεκύνεσεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτȣ̃ adoravit ad faſtigiũ virgæ. In Hebræo Gen. 47. v. 31. eſt וישתחו על ראש המטה Vayſchtachu hal roſch hamittah. i. e. & adoravit ad caput lecti Quæritur qvomodo hæc duo loca poſſint conciliari ℞ 1. Diverſitas oritur ex voce מטה Gen. 47. v. 31 qvam ſi legis mittah lectùm, ſi legis matteh baculum ſive ſcipionem ſignificat. Ribera in cap. 11. ſtatuit מַטֶּה ſignificare non ſolùm lectum, ſed etiam baculum, ideo utroqve modo verti potuiſſe, deſcendit enim à נטה reclinare, ergo mittah eſt reclinatorium, ſive id ſit lectus, ſive baculus. Alij putant textum Hebræum Scribarum incuriâ eſſe corruptum & pro mittah legendum eſſe matteh, ſed

utra-

utraqve hypotheſis eſt periculoſa & falſa. Vide Gerhard. in Exegeſi Tom. 1. Locor. 2. Secutus eſt Apoſtolus LXX. Interpretum verſionem tum temporis pervulgatam & uſitatam, qvi legerunt matteh, qvod ſignificat baculum ſeu virgam. Juxta hanc verſionem ſenſus erit, qvod incurvaverit ſe Jacobus ad ſceptrum, qvod tenuit Joſeph in manu, & hanoraverit filium in officio, ut impleretur ſomnium illud, qvod habuit Joſeph de inclinatione Solis & Lunæ. Gen 37. v. 9. Theophyl. in cap. 11. Hebr. Hoc ſenſu vertit Lutherus: Und neiget ſich gegen ſeines Scepters ſpitzen. 3. Scopus Apoſtoli principalis eſt oſtendere Jacobum verâ fide in futurum Meſſiam fuiſſe præditum, inqve ea feliciter vitam finiiſſe. De reliqvo an virgam Joſephi attingens ipſum honoraverit, an ſuo baculo innixus, an deniqve ad culcitram verticémqve lecti converſus Deum adoraverit, non magnopere laborandum duxit. Qvin imo poteſt etiam LXX. Interpp. verſio ab Apoſtolo citata itidem ad religioſam adorationem referri ac ſenſu eô accipi, qvod Jacobus ſuper virgam Joſephi vel innixus baculo ejus adoraverit non ipſum ſed Deum. Vid. Gerhard in Genes. 4. Fieri potuit utrumqve, ut & à fronte baculo ſuo niteretur Jacobus propter imbecillitatem conf. Gen. 48. v. 2. & c. 49. v. 33. & lumbis à tergo verſus cervical lecti ſeſe inclinaret, prout faciunt infirmi ſenes atq; decrepiti; & fracti laboribus ac ætate malâ. Ergo cum utrumq; verum ſit, alterum altero non evertitur, ſed utrumq; ſimul, aut alterutrum ſeparatim, poteſt affirmari ſine offenſâ veritatis. Prückner. vindic. Gen. in h. l. Si utraqve lectio conjungatur hunc parit ſenſum, qvod

qvod Jacobus incurvatus ſuper faſtigium baculi & ad caput lectuli converſus Deum adoraverit. Quæcunqve igitur explicatio aſſumitur, nihil ipſi rei decedit. 5. Sed maximè placet reſponſio magni Gerhard. comm. in Genes, p. m. 809. Apoſtolum non ad caput 47. ſed ad ſeqvens 48. reſpicere; Verba Apoſtoli ſic ſonant: Fide Jacob moriens ſingulis filiorum Joſeph benedixit, & adoravit ad faſtigium virgæ ejus: Jam verò in cap. 48. Jacob filiis benedicit non verò in cap. 47. ideóqve v. 31. ibi eſt lecti, non verò baculi mentio. Adde qvod cap. 47. non agatur de civili reverentia Joſepho exhibita, ſed de adoratione religioſa ad Deum directâ, ut ſit ſenſus, Jacobum Patriarcham voti ſui compotem factum, cum plane aſſurgere non poſſet ex lecto, ad caput lecti ſe incurvâſſe, prono vultu in formam precantis ſe compoſuiſſe, ac primum gratias Deo egiſſe, qvod Joſeph promptiſſimè ejus petitioni annuerit, & ſe eum in terra Canaan humaturum promiſerit. Deinde orâſſe ut prômiſſio ſibi facta in effectum deduceretur, conf. 1. Reg. 1. v. 47. 2. Paral. 29. v. 22. ubi David itidem adorat ſuper lecto. Gratias etiam egit pro terræ Canaan promiſſione ſibi & poſteris ſuis facta, ac Deum precatus eſt ut ſuo tempore eam impleret. In cap. verò 48, in qvo benedictio filiorum Joſephi deſcribitur, fit mentio civilis reverentiæ Joſepho exhibitæ. v. 2. & licet hujus facti circum-ſtantia; qvod Jacobus liberis Ioſephi benedicens baculo innixus fuerit non apertè habeatur in Scriptura, tamen non obſcurè id colligi poteſt ex c. 48. v. 2. ubi accingens ſeſe Iacobus ad illam benedictionem ſediſſe ſuper lectum dicitur & ſeſe confortaſſe, qvò tantò melius ſe-

dere poſſet. Poſitum eſt ἀυτȣ̃ cum ſpiritu tenui pro ἁυτȣ̃ cum denſo vel ἑαυτȣ̃: ut aliàs freqventer: qvod obſervandum, ne qvis putet pronomen ἀυτȣ̃ hìc referri ad Ioſephum. Nam non ſùper baculum Ioſephi, ſed ſuum adoravit Iacob. In Hebræo pronomen iſtud non habetur, ſed tantùm innuitur per articulum ה qvem Hebræi vocant He hajedihàh. Ῥάβδους etiam pro baculo qvo innitimur, i. e. pro ſcipione, qvi verè ſenibus convenit, potius hoc in loco accipimus, qvàm pro ſceptro, ita enim melius exprimitur imbecilli ſenis geſtus. Vernacula noſtra nova, **De tilbad offver knappen (det yderſte) aff hans Staff.** Vide etiam Bezam & Interpretes Belgicos.

Fuerunt in ſecunda Synodo Nicena, qvi ex verſione LXX. Interpp. ab Apoſtolo Heb. 11. citatâ religioſum imaginum cultum probare voluerunt, præſuppoſitô eô, qvod Iacobus adoraverit virgam Ioſephi, & in virga ipſum Ioſephum. Sed in Græco non eſt προσεκύνεσε τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτȣ̃, ſed ἐπὶ τὸ ἄκρον τȣ̃ ῥάβδου &c: adoravit ad faſtigium virgæ, i. e. baculo innixus, incumbens. Fruſtrà regerit Cornel. à Lapide in cap. 11. Heb. qvod præpoſitio עַל & ἐπὶ denotat rem, qvæ adoratur. 1. Sam. 1. v. 10. Eſa. 45. v. 14. ergo etiam hoc loco: nam 1. tota ſcriptura teſtatur, religioſæ adorationis objectum non eſſe aliud, qvam ſolum verum Deum. Proinde præpoſitio עַל qvando rei creatæ, vel manibus hominum factæ adjungitur, non poteſt nec debet ita exponi, ut ſignificet rem adorandam, ſed in nativâ ſignificatione relinquenda & explicanda per ad, apud, verſus, in, ut Gal. 5. v. 8. 2. Si maximè admittimus vulgatam interpreta-

pretationem, certum tamen eſt, hunc locum non poſſe accipi de adoratione religioſa, ſed civili : cultus enim & adoratio quæ Regibus exhibetur civilis eſt, non religioſa. Nec obſtat, qvod Cornelius addit, Ioſephum conſeqventer Deum poteſtatis hujus datorem vel maximè adoràſſe. Qvamvis enim civilis & religioſa adoratio fuerint conjuncta, tamen non fuit unum atq; idem utriuſqve objectum, ſed illa directa fuit ad Ioſephum, hæc verò ad Deum. Regerit Cornelius: Sicut veneratio Sceptri erat veneratio Ioſephi: ita veneratio imaginis eſt veneratio Sancti cujꝰ ea eſt imago, & ſicut Iacob incurvans ſe ſceptro Ioſephi, non ipſum ſceptrũ ſed Ioſephum principem, cujus ſymbolum & imago erat ſceptrũ, adoravit: ita cum veneramur imagines, non imagines ſed ſanctos, qvorum ſunt imagines, veneramur. ℞. 1. Sceptrum eſt qvidem ſymbolum regiæ poteſtatis, non autem imago Regis, Ergo labaſcit comparatio. 2. Non ſolùm imaginum ſed etiam Sanctorum religioſam adorationem improbamus. 3. Honor Ioſephi ſceptro à parente exhibitus fuit civilis, ſed qvem Pontificii imaginibus Sanctorum deferunt eſt religioſus. Ergo comparatio non ſtat juſtô talo. 4. De cultu Dei judicandum non ex conſvetudine ſeculi, nec ex noſtris ratiocinationibus, ſed ex verbo revelato. Vid. Gerh. in Gen. pag. 810. ſeqq. Auctor Epiſtolæ dicit. c. 9 19. librum legis fuiſſe aſperſum ſangvine ſacrificiorum. At Moſes Exod. 24. dicitur ſparſiſſe ſangvinem ſuper altare. Ergo intelligendum eſt librum fœderis altari fuiſſe impoſitum, poſtqvam præcepta Dei ex illo fuere populo prælecta. Reſpicit autem non modo aſperſionem, Exod. 24. v. 6. deſcriptam,

qvæ propriè hujus loci eſt, ſed etiam ad alias purificationes, qvæ in V. T. uſitatæ fuerunt, inter qvas etiam fuit mundatio Sanctuarii Lev. 16. v. 14. 15. 18. de aqva vid. Num. 19. 9. de lana coccinea, Lev. 14. 6. 51. Pſal. 51. v. 9. Quonam aſpergillô Moſes fuerit uſus, non deſcribitur Exod. 24. Sed Auctor Epiſtolæ ad Hebr. hoc ex aliô locô ſc: Num 19. 6. deſumpſit. Nihil ergo Scripturæ addit, & ſi addidiſſet non ſeqveretur tamen, Scripturas vel imperfectas, vel etiam aliqvid præter Scripturam credendum eſſe; ratio, qvia dictante Spiritu S. iſta in ſcripturas retulit, & ſi maximè harum circumſtantiarum cognitione ex ſcripturâ V. T. deſtitueremur, nihil ſaluti noſtræ decederet, quia ad eam non eſt neceſſaria. Quando populus dicitur ſangvine conſperſus, aliqvi per metonymiam ſubjecti intelligunt duodecim ſtatuas, qvas illic erexerat Moſes adrepræſentandum 12. tribus Iſrael, ſicut per altare repræſentabatur Deus, fœdus cum illis contrahens. Exod. 24. v. 4. Sed nihil impedit propriè intelligere de ipſo populo leviter conſperſo, ita ut, qvamvis non omnia populi individua ſangvis adſperſus attigerit, tamen in tota populi multitudine aliqvi omniũ nomine adſperſi fuerint. Heb. 1. v. 6. προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Adorent eum omnes Angeli Dei. Dicunt Photiniani 1. Non rectè ad Chriſtum trahi, qvod in Pſalmo de Jehova dicitur. 2. Adorationem etiam eſſe honorem Regibus & Magnatibus convenientem. 3. non rectè citari verba Pſalmi, cum ibi ſit, incurvate vel adorate eum omnes Dii. Pſal. 97. v. 7. Apoſtolus verò additâ copulâ, & mutatô imperativo, dicit: & adorent eum omnes Angeli, additô etiam relativo αὐτοῦ, ejus. Reſp. 1.

Hoc

Hoc eſt blaſphemare Spiritum S. imò rectè referuntur dicta de Jehova ad filium, qvia Jehova per filium regnat,& hic eſt ipſe Jehova. 2. Pſaltes non loqvitur de adoratione civili, qvæ Angelis ridiculè imponeretur, ſed de religioſa. 3. Allegavit Apoſtolus verſionem Græcam vulgò receptam: tantum pro προσκυνήσατε adorate, dixit προσκυνησάτωσαν adoranto. Utrumqve verò eſt imperantis. Ex eadem verſione pro relativo αὐτῷ addidit θεοῦ ad ſenſum explendum. Nihil verò familiarius eſt Apoſtolis qvàm oracula prophetica ad ſenſum potiùs, qvam ad voces allegare & inſtituto ſuo accommodare, qvia ſunt Scripturæ Propheticæ interpretes. Aliqvi volunt, dictum hoc ex Deut. 32. v. 42. citari, ſed minus recte, nam nec Vulgata verſum illum habet, nec Eugubinus eum agnoſcit legitimum, nec benè fluit contextus, nec ſcopo Apoſtolico argumentum Moſis convenit, ſicut argumentum Pſalmiſtæ. In græcâ verſione ſuperfluam additionem agnoſcimus perinde ut Deut. 23. 18. Glaſſ. l. 1. Philol. ſacr. tr. 1. ſect. 2. part. 2. obj. 13. p. 82. Heb. 10. v. 5. Corpus aptaſti mihi, metaphora deſumpta eſt ab opificibus mechanicis Hebraicè Pſal. 40. v. 7. habetur אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי Oſnájim caritha li, id eſt, aures perfodiſti mihi, iſt eſt, qvaſi ſervum perpetuò tibi ſerviturum aurium perfoſſione me notaſti. Utraqvè verſio conſiſtere poteſt כָּרָה caráh enim ſignificat non tantùm perforare, ſed & adaptare notat. 2. Reg. 6. 23. Iob. 40. v. 25. Aures autem pro toto corpore ſumuntur, per ſynechdochen. Significat his verbis ſuam erga Patrem obedientiam & ſervitutem: ſicut olim ſervi addicebantur in perpetuam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſervitutem hâc ceremoniâ, ut auris eorum ſubulâ affigeretur januæ heri Exod. 21. 5. Ita & Chriſtus qvi promptiſſimâ voluntate ſerviturus erat Deo, ut humanum genus redimeret, Deum ſibi corpus ſeu naturam humanam, in qva ſervire poſſet, & lubentiſſimè ſerviturus erat, aptaſſe ait: qvam ſerviendi promptitudinem aſſerit, dum dicit v. 7. ecce ad ſum. &c: & cum hæc formula de Chriſto uſurpatur, præſupponitur utiqve Chriſtum habere aures & corpus adeoqve totam humanam naturam, in qva Deo Patri obediverit. Tremellius in notis ad Pſal. inqvit, hæc aliter redduntur ab Apoſtolo Heb. 10. v. 5. nempe qvod metaleptice ex conſeqventibus colligeret antecedentia: non enim fuiſſet aurem Chriſto pertuſurus Pater, ſervumqve accepturus ipſum, niſi aptaſſet prius ipſi carnem in unitate perſonæ, ſecundum qvam ſub lege factus eſt. Sed omnia ad ſententiam eandem pertinent. Apoſtolus retinet verſionem LXX. Interpp. Poteſt autem verſio Græca, cum textu Hebræo optimè conjungi, hoc ſenſu, qvia corpus mihi aptaſti, ideo etiam obſeqventem ſervum me feciſti, ut idem illud corpus pro peccatis humani generis in ſacrificium tibi offerrem. Poteſt etiam hôc modô explicari, ut corpus figuræ & umbris oppoſitum intelligatur. Hunnius in h. l. inqvit. Verſionem LXX. divus Apoſtolus retinere voluit, ut corpus illud Chriſto aptatum ſeu in incarnatione aſſumptum, tanqvam rem adumbratam, & veram propitiatoriam victimam opponeret ſacris V. T. qvæ umbram tantùm, non abſolutam imaginem ſeu ſubſtantiam rerum continebant. Vide Philolog. Glaſſ. lib. 5. p. m. 589. Qviſtorpium, Interpp.

Bel-

Belgicos ad h. l. II. Objicitur. Patres in hanc nullos ſcripſerunt commentarios. Qvos enim in hanc epiſtolam commentarios Ambroſio, Sedulio & Primaſio adſcriptos habemus, ſuppoſititios eſſe ex ſtylo & aliis argumentis doceri poteſt. Neqve conſtat qvenqvam Latinorum in hanc epiſtolam commentarios ſcripſiſſe ante Anſhelmum Cantuarienſem, ſi tamen is auctor eſt. Sed Reſp. hoc non factum eſſe propter auctoritatem dubiam, ſed qvod Auctor incertus & dubius haberetur, ab ea abſtinuerunt, ſiqvidem ipſis conſtitutum erat in ſolas Pauli epiſtolas commentarios ſcribere. III. Auctor eſt dubius, ergo non eſt canonica. Reſp. Licet Auctor aliqvamdiu dubius fuerit, auctoritatem propterea non labefactari, alias libris Regum, Paralipomenon, Jobi, idem metuendum. IV. Neſcitur qvâ lingva ſit ſcripta. Reſ. 1. etiamſi neſciretur, qvâ lingvâ ſcripta, eſſet tamen in canone. Etiam de illo diſputatur, qvâ lingva Matthæus & Marcus primum ſcripſerint. 2. Paulò inferius conſtabit eſſe lingvâ Græcâ ſcriptam.

Qværitur, recténe an ſecus fecerit Lutherus, dum Patres, qvi qvatuor primis ſeculis vixere, & de divina auctoritate Epiſtolæ ad Hebræos dubitavêre, ſecutus eſt, & an Marcioniſmi & Arianiſmi ob rejectam ad Hebræos Epiſtolam jure accuſari poſſit? Tale formatur dilemma: ſi peccavit ſeqvendo ſententiam Patrum, qvi divinam epiſtolæ ad Hebræos auctoritatem in dubium vocarunt, cur Lutheri factum excuſant Lutherani? Sin Lutherus hâc aſſertione à vero non aberravit, cnr Lutherani libros è Canone à Luthero ejectos in canonem recipiunt. Reſp. 1. Nos minime con-

cedimus, Lutherum Patrum auctoritate permotum, ut epiſtolam ad Hebræos minûs probaret: nam de epiſtola ad Hebræos, ubi ſuam promit Lutherus ſententiam, & qvidem præfatione, qvam verſioni Germanicæ epiſtolæ ad Hebræos præmittit, ne meminit qvidem Patrum, ſed alia affert improbatæ epiſtolæ momenta, ex intimis, qvod putat, textûs viſceribus deſumpta, qvibus Canonicam epiſtolæ auctoritatem infirmare conatur. 2. Si Lutherus eô nomine cenſendus eſt Marcionita & Arianus, qvod epiſtolam ad Hebræos non admiſit ut canonicam, Patres præſtantiſſimi erunt Hæretici longe peſtilentiſſimi, qvippe qvos Lutherus hìc habet ὁμοψήφȣς. 3. Quod qvæſo erit periculum, ſi errantem hìc Lutherum excuſamus? Nos excuſamus Patres, qvi eundem cum Luthero errârunt errorem, nec revocarunt: qvid impedit qvo minus nos Lutherum excuſemus, qvi hìc aliqvid humani paſſus eſt? 4. Immeritò Lutherus ob rejectam ad Hebræos epiſtolam Marcionitis adnumeratur, nam Hieronymus in præfatione in epiſtolam ad Titum, non tam ob rejectam ad Hebræos epiſtolam, qvam ob Evangelia & omnes epiſtolas Apoſtolicas rejectas Baſilidem & Marcionem damnat. Si Marcion & Baſilides ſolius epiſtolæ ad Hebræos auctoritatèm elevâſſent, hôc utiqve nomine ab Hieronymo hæreſeos non fuiſſent damnati, qvippe diſertè teſtato (Tom. 5. p. 29. &. 38. ut & Tom. 3. p. 9.) conſvetudinem Romanam non recepiſſe Epiſtolam ad Hebræos. Vid. Brochmanni confutat. Apol. p. 423. ſeqq.

Lingva, qvâ hæc epiſtola ſcripta eſt, veriſimile eſt qvod fuerit Græca. 1. Pleriſqve Judæis lingva Græca

tum

liaris erat, maximè iis, qvi in minore Aſia degebant. 2. Apoſtolus non ſolùm Hebræis, ſed etiam cœteris gentibus, apud qvas lingva Græca uſitata erat, conſultum voluit. 3. Cum Petrus & Jacobus epiſtolas ſuas ad Judæos diſperſos ſcripſerint lingvâ Græcâ, idem à Paulo factitatum veriſimile eſt. 4. Cum reliqvas epiſtolas omnes Græcâ lingvâ exaravit, veriſimile eſt, eum etiam hanc hoc idiomate exarâſſe. 5. Stylus redolet Græcam eloqventiam non Hebræam. Euſeb. lib. 6. Hiſtor. Eccleſ: c. 25. ex Origene in h. epiſt. Eſt hæc epiſtola compoſitione dictionis admodum Græca ἐν συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα. Fatebitur hoc qvisqvis peritiam habet diſcernendi inter phraſes. 6. Nullus veterum teſtatur, ſe vidiſſe Hebraicum exemplar. 7. Si Hebraicè ſcripta eſſet hæc epiſtola, deberent plures Hebraiſmi obſervari, at pauciores hìc apparent, qvàm in cœteris. 8. Scriptura V. T. in ea citatur non juxta fontes Hebraicos, ſed juxta verſionem LXX. Interpp. 9. Nomen Hebræum Melchiſedech interpretatur Regem justitiæ, ac Salem interpretatur pacem, at hoc non feciſſet ſi Hebraicè ſcripſiſſet. Confer Franciſc. Jun. paral. lib. 3. in cap. 9. hujus epiſtolæ p. 479. ubi probat hanc epiſtolam Græcè ab Apoſtolo eſſe ſcriptam. Sed Hebraicè ſcriptam eſſe teſtatur Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. Euſeb. lib. 3. hiſtor. Eccles. c. 32. Item Hieronym. Sed hic dicit verſam eſſe vel à Barnaba, vel à Luca Toſſan. inqvit: Fieri potuit, ut Hebraicè primùm ab Apoſtolo fuerit ſcripta ac per Lucam in Græcam lingvam ſit tranſlata. Sed qvi hebraicè ſcriptam eſſe dictitant hôc utuntur argumentô. Scripta eſt ad Hebræos, h. e. ad illos Iudæos, qvi Hieroſolymis & in Iudæa habitabant, ac Hebræâ lingvâ adhuc utebantur. At ex

eo tamen non inferri poteſt Hebræâ lingvâ epiſtolam hanc eſſe ſcriptam. Nam. 1. alioqvi dicendum erit Jacobi, Petri, & Johannis epiſtolas & ipſius etiam Pauli, utramqve ad Timotheum, conſcriptas eſſe Hebraicè; ſunt enim hæ omnes à Judæis ad Judæos ſcriptæ. 2. Uſus Græcæ lingvæ tempore Apoſtolorum latiſſimè patebat, ac in Syriam qvoqve penetraverat, ex illo jam tempore, qvô eam Reges Græcorum ſibi ſubjugaverant, adeo ut Hebræi non ſolùm, qvi in gentes erant diſperſi, ſed etiam qvi in Syria morabantur Græcè loqvendi conſvetudinem paulatim induiſſent. 3. Viſum ergo fuit Apoſtolis Græcâ lingvâ potiùs uti in ſcribendis epiſtolis, qvò paſſim ab omnibus poſſent intelligi, qvàm eâ lingvâ, qvam ſoli intelligerent Hebræi aut Syri. Vide. Gerhard. in hanc epiſtolam p. 15. 16. & alios. Qværitur annon hæc epiſtola dici debeat catholica, cùm ad converſos ex Judæis ſit ſcripta? Sed ℟. ex antedentibus colligi poteſt, qvod peculiariter ad converſos Judæos, qvi Hieroſolymis, & in Judæa commorabantur, perſcripta fuerit, & ex cap. 10. v. 34. dicuntur enim rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiſſe.

IV. OCCASIO. Quam ſolicitus fuerit Apoſtolus de Hebræorum tanqvam fratrum ſuorum ſalute promovendâ ipſe teſtatur. Rom. 10. v. 1. precationis ſuæ intimatione pro ſalute Iudæorum. Rom. 9. v. 1. tergemino teſtimonio, tres enim affectûs ſui teſtes producit, Chriſtum, Spiritum S. & conſcientiam, & v. 3. voto, optarim ajens, ego ipſe, anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Attamen qvò majus ejus in Iudæorum ſalutem πάθος fuit, hoc magis inviſum. Apoſtaſiæ & novæ doctrinæ ſemper ſuſpectus fuit Apoſtolus ob converſationem cum gentilibus, & ſimul ac ad gentes ſe miſſum eſſe profeſ-

ſus

ſus eſt in apologia ſua, ferre moram non potuere Judæi, ſed tolle, tolle, clamârunt. Act. 22. v. 22. Ita ſalutare ſidus opinione Judæorũ peſtis erat. Act. 24. v. 5. Nihilominus cum jam omnibus gentibus ſcripſiſſet Apoſtolus, etiam omnibus Hebræis, qvi ex circumciſione crediderant, epiſtolam hanc declarationibus & probationibus inſtructam de Chriſti adventu & de legis umbra, qvod illa deſierit, ſcribere voluit, illiſqve ſimul oſtendere, V. & N. Teſtamenti diſcrimen, & umbras illas Leviticas eſſe antiqvatas. Thomas annotat, epiſtolam hanc ſcriptam eſſe contra errores qvorundam, qvi ex Judaiſmo ad fidem Chriſti converſi volebant legalia V. T. unà cum evangelio obſervare, qvod gratia Chriſti ad ſalutem non ſufficeret.

V. LOCUS. Ex Italia per Timotheum eam fuiſſe miſſam docet ſubſcriptio. Sed ſubſcriptio vulgata, qvæ in Græcis eſt, in Syris non eſt, neqve veritati conſonat, ut probat Beza in notis h. l. Primum, *inqvit, ſuſpecta eſt mihi fides* hujus ſubſcriptionis, qvia ſubjici ſolet epiſtolis, non ex qva regione, ſed ex qva urbe potiùs ſcriptæ ſint. Deinde qvod adjicitur miſſam fuiſſe per Timotheum omni fide caret, niſi duos faciamus Timotheos. Nam qvæſo, cur illis ſignificaret ejus liberationem per qvem ipſe ſcriberet? Præterea, ſi venerit, inqvit, celerius viſam vos. Atqvi ſi per hunc ſcribebat, dicendum potiùs fuerat, ſi celerius redierit, aut ſi celerius eum remiſeritis. Puto igitur hanc ſubſcriptionem non ſatis conſideratè adſcriptam fuiſſe à qvopiam, qvi occaſionem ex eo arripuerit, qvod Timothei & Italorum mentio facta fuerat. Nam ètiam & in Claromontano codice & in Syra interpretatione non extat. Chryſoſtomus addit, Romæ ex carcere eſſe ſcriptam. Heb. 10. v. 34. & ex collatione Heb. 13. v. 19. 23. cum 2 *Tim.* 4. v. 16. 17. veriſimile eſt eam ſcriptam eſſe poſt primam defenſionem coram Cæſare Nerone, poſtqvam ſpem conceperat de ſui liberatione, & putabat cum Timotheo Hieroſolymam proficiſci.

VI. TEMPUS. Scripta eſt hæc epiſtola ante excidium Hieroſolymitanum, eô ſc tempore, qvô fideles, qvi in Judæa erant à Ju*dæis* infidelibus variè vexabantur, qvos præterea conſolatur Apoſtolus cap. 10. & 12. Id ipſum etiam ex eo manifeſtum eſt, qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

cap. 8. v.4. & c.7.v.9.10.&c,13. multa dicit, ex qvibus facilè concludi poteſt, Aaronicum Sacerdotium eô tempore adhuc in uſu fuiſſe. Videtur ſcripta poſt omnes alios, eodem tamen anno cum poſtremis, ſc: iis, qvæ datæ ſunt ad Philemonem, ad Coloſſenſes, & ad Philippenſes.

VII. SUMMA conſiſtit in eo, qvod Jeſus Chriſtus Verus Deus & verus homo, ſit promiſſus in V. T. & exhibitus in N. T. Meſſias, æternus & unicus Eccleſiæ Propheta, Rex & Sacerdos, in qvem omnes Patres per fidem reſpexerunt, ceremoniis Leviticis præfiguratus, à qvo totam Dei Eccleſiam illuminari, regi & ſanctificari oporteat.

IIX. PARTITIO. 1 Duas habet partes. Una eſt, qvâ Chriſtus comparatur ad ſacrificia legalia. cap. 10. Altera eſt de officio Chriſtianorum. Vel. 2. qvatuor habet partes I. deſcribitnr perſona & officium Chriſti. c.1.2. II. qvod Chriſtus ſit ſacerdos ordinis Melchiſedech. cap. 3. ad. 11. III. Encomium fidei. cap. 11. IV. Officium Chriſtianorum. cap. 11. 12. 13.

IX. USUS duplex eſt. 1 διδασκαλικὸς, qvia principaliter Apoſtolo propoſitum docttinam de perſona, officio & eminentia Chriſti tradere. 2. παρακλητικὸς qvia Hebræos variis modis ab infidelibus Iudæis afflictos conſolatur, & ad fidei conſtantiam hortatur. Heb. 13. v, 22.

Cap. SUMMARIUM.

I Chriſti divinitas multis teſtimoniis demonſtratur.

II. Chriſti paſſio & inde promanans utilitas.

III. Collatio Moſis & Chriſti; veterum Hebræorum exemplo deterret ab apoſtaſia.

IV. Per Chriſtum ad ſalutis poſſeſſionem venimus

V. Collatio Sacerdotij Chriſti cum Levitico & Melchiſedechiano.

VI. Hebræos ignavos terret & excitat meliora de ipſis ſperans. Abrahæ exemplo verbo Dei innitendum

VII. Chriſtus eſt ſacerdos ordinis Melchiſedech.

VIII. De ceremonialis legis abrogatione.

IX. Sacrificia nihil ex ſe poſſunt, niſi virtute Chriſti.

X. Non brutorum, ſed Chriſti ſangvis expiat.

XI. Solâ fide Patres ſalutem adepti ſunt.

XII. Commendat tolerantiam, pacem, concordiam.

XIII. Præcepta de mutua dilectione, caſtitate, obedientiâ: ſalutatione concludit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

86.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)